

**UNIVERSITAS CAROLINA PRAGENSIS
FACULTAS THEOLOGIAE CATHOLICAE**

**Statuta
Facultatis Theologiae Catholicae
Universitatis Carolinae Pragensis**

Senatui Academico Facultatis Theologiae Catholicae – secundum § 27, art. 1, litt. b) et secundum § 33, art. a) legis nr. 111/1998 Collectionis legum et praescriptorum, de scholis superioribus, necnon de mutatione et suppletionem legum aliarum (Lex de scholis superioribus) – haec Statuta placuerunt ut norma Facultatis interna:

Pars prima
Instituta initialia

Art. 1
Instituta fundamentalia

1. Facultas Theologiae Catholicae Universitatis Carolinae Pragensis (ulterius „Facultas“ tantum) illae facultatis theologiae succedit, quam Clemens papa VI litteris die 26 ianuarii 1347 datis canonicè constituerat quaeque membrum facta est universitatis Pragensis, fundatae a Bohemorum rege Carolo IV die 7 aprilis 1348. Facultas evolutionem historicam perferebat, etiam exclusionem de Universitatis gremio perpessa est (intra Romano-Catholicam Facultatem Theologicam Cyrillo-Methodianam Pragensem existens, ab anno 1953 in Litomerice residens) et anno 1990 Universitati Carolinae Pragensi (ulterius „Universitas“ tantum) reinserta est.¹
2. Facultas membrum est Universitatis ut personae iuridicae.
3. In Facultate ad effectum perducitur Ecclesiae Romano-Catholicae ius docendi, ministros sacros et operarios laicos sibi erudiendi.²
4. Quoad ius civile, actionum Facultatis fundamentum legitimum est lex nr. 111/1998 Collectionis legum et praescriptorum (ulterius „Coll.“ tantum), de scholis superioribus necnon de mutatione et suppletionem legum aliarum (Lex de scholis superioribus), una cum lege nr. 3/2002 Coll., de libertate fidei religiosae atque de statu ecclesiarum et consociationum religionis, item cetera praescripta iuridica, normae internae Universitatis atque normae internae Facultatis.
5. Quoad ius canonicum, actionum Facultatis fundamentum legitimum est Codex iuris canonici, ab anno 1983 vigens, et Constitutio apostolica “Sapientia christiana” Johannis Pauli papae II die 15 aprilis 1979 promulgata, ei adiunctae Ordinationes, et alia Apostolici Sedis decreta.

¹ § 1 art. 1 legis nr. 163/1990 Collectionis legum et praescriptorum (Coll.), de facultatibus theologicis.

² § 6 art. 3 litt. a) legis nr. 3/2002 Coll., de libertate fidei religiosae atque de statu ecclesiarum et consociationum religionis.

6. In rebus ordinatis Lege de scholis superioribus et Universitatis Statutis agunt Facultatis organa nomine Universitatis.

7. Instar nominis adhibeatur aut „Univerzita Karlova v Praze, Katolická teologická fakulta“, aut „Katolická teologická fakulta Univerzity Karlovy“. Nomen utrumque sonat Latine aut „Universitas Carolina Pragensis, Facultas Theologiae Catholicae“, aut „Facultas Theologiae Catholicae Universitatis Carolinae“. Ut nomen Facultatis abbreviatum „KTF UK“ (secundum vocem Latinam “FTC UC”) adhibetur.

8. Residentia Facultatis est in Praga 6, via Thákurova 3.

9. Facultas sigillum officiale rotundum adhibet cum emblemate Rei Publicae Bohemicae et cum textu “ Univerzita Karlova v Praze, Katolická teologická fakulta“ (quod est Latine „Universitas Carolina Pragensis, Facultas Theologiae Catholicae“), ubicumque praescriptum iuridicum ita statuerit.³ Modum adhibendi sigilla cetera statuatur per Decani consultum, ut ordinatum est Rectoris consulto, promulgato secundum art. 63, par. 2 Universitatis Statutorum.

Art. 2

De Facultatis munere et actionibus

1. Munus Facultatis est, munus Universitatis coadimplere atque sollicitari, ut „veluti publica, stabilis atque universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendae studio“.⁴ Huic muneri suo Facultas in diversis scientiae provinciis stat, nominatim in theologia catholica, et quidem lege scientiae pervestigando, studentes erudiendo et emolumenta navitatis suae fructificando in toto evangelizationis ministerio.⁵ Pars insignis actionum eius est cura formationis scientificae erga ministros ecclesiae habita, eorundemque formatio continua.⁶

2. Facultas curricula accredita gerit atque scientificam, pervestigativam, evolutivam, artificam necnon alias navitates creativas provehit utique formationem continuam.

3. Facultas studiis et navitatibus eruditivis atque scientificis per servitium bibliothecarium et informaticum suppeditat.

4. Facultas potest navitatem editorialem provehere, quae navitas praecipue cum navitatibus scientificis et eruditivis Communitatis eius Academicae cohaeret.

5. Tamquam supplementum potest Facultas perficere navitates pecunia solutas, dummodo adnexa sint navitatibus suis eruditivis, scientificis, pervestigativis, evolutivis, artificis necnon aliis creativis, vel navitati quae ad usum aptiorem possessionum spectat. Quae navitates oportet adiumento sint, quo Facultas muneri suo melius stet.

³ § 3 legis nr. 68/1990 Coll., de emblemate, vexillo et de aliis symbolis Rei Publicae Bohemicae adhibendis, iuxta praescripta sequentia.

⁴ Concilium Vaticanum II, declaratio de educatione catholica Gravissimum educationis, art. 10.

⁵ Sapientia christiana, art. 3 § 3; Ordinationes, art. 4.

⁶ § 6 art. 3 litt. a) legis nr. 3/2002 Coll., de libertate fidei religiosae atque de statu ecclesiarum et consociationum religionis; Sapientia christiana, art. 3 § 2 et art. 74 § 1.

6. Facultas cum intraneis et extraneis scholis superioribus, cum institutis scientificis et pervestigativis necnon cum aliis personis iuridicis cooperatur et pro membris Communitatis Academicae optima huiusmodi cooperationis circumstantia efficit.

7. Facultas cooperat cum Seminario Archiepiscopali, quod est Universitatis institutum sui muneris.⁷

Art. 3

De membrorum Communitatis Academicae statu

1. Facultatis Communitas Academica constat ex operariis academicis, qui in Facultate munere funguntur, et ex studentibus Facultati adscriptis.

2. Membra Communitatis Academicae Facultatis ius habent nominatim:

- a) candidatos Senatus Academici Facultatis ferre, membra eius eligere et membrum eiusdem eligi;
- b) more in norma interna Facultatis praestituto candidatos munere Decani functuros ferre;
- c) sessionibus Senatus Academici Facultatis adesse;
- d) protocolla de processibus Senatus Academici Facultatis et Collegii de rebus scientificis Facultatis cognoscere, inclusive quid consulta eorum dixerint;
- e) copiam loquendi in concilio membrorum Communitatis Academicae Facultatis obtinere;
- f) cum sententiis, mentionibus necnon querelis suis organa Facultatis autonoma adire; quae organa obligantur eis operam dare, sine mora superflua eas expedire et ad eas respondere.

3. Facultas favet navitatibus associationum, quae scientiam, peritiam, studia, syndicalismum et alias membrorum Communitatis Academicae Facultatis intentiones provehunt; quae navitates adiumento sint, quo Facultas muneri suo melius stet.

4. Facultas respicit necessitates sociales membrorum Communitatis Academicae Facultatis.

5. Membra Communitatis Academicae Facultatis tenentur normas internas Universitatis et Facultatis servare.

6. Membra Communitatis Academicae Facultatis tenentur cavere, ne Universitas atque Facultas ignominiam capiant.

7. Membrum Communitatis Academicae Facultatis potest eodem tempore solummodo uno ex sequentibus muneribus fungi: munere Rectoris, Prorektoris, Decani, Prodecani, Quaestoris, Secretarii vel munere Praefecti aliae parti Universitatis.

9. Concilium membrorum Communitatis Academicae Facultatis convocat Decanus motu proprio, ex Senatus Academici consulto vel rogante Rectore.

Pars secunda De Magno Cancellario

⁷ Ordinatio conformativa Universitatis Carolinae Pragensis (Appendix nr. 2 Statutorum Universitatis Carolinae), art. 4 par. 1.

Art. 4
De Magni Cancellarii iuribus et muneribus

1. Iure canonico Facultas a Magno Cancellario pendet, qui est Archiepiscopus Pragensis.⁸ Magni Cancellarii vicem gerere vicecancellarius potest.

2. Magnus Cancellarius nominatim⁹

a) sollicitatur ut Facultas muneri suo stet et perpetuo augeatur;

b) providet ut in Facultate serventur doctrina catholica, mores, disciplina et quidquid Sancta Sedes statuerit;

c) favet sodalitati inter membra Communitatis Academicae Facultatis et communitati Facultatis cum regionali atque cum universa Ecclesia;

d) Apostolicam Sedem apud Facultatem et Facultatem apud Apostolicam Sedem repraesentat;

e) Facultatis Statuta ad approbandum proponit Congregationi pro Institutione Catholica;¹⁰

f) Congregationi pro Institutione Catholica, ut ab Apostolica Sede canonice sanciantur, nomen candidati munere Decani functuri proponit,¹¹ item nomina praecipientium, qui declaratione „nihil obstat“ indigeant;¹²

g) a Decano professionem fidei accipit;

h) praecipientibus mandatum canonicum tribuit aut tollit;¹³

i) certiores faciat Apostolicam Sedem de gravioribus rebus gestis et singulis trienniis mittat ei de Facultatis statu expositionem extensam, quam mutua cum Decano cooperatione exaret.

3. Magnus Cancellarius a Facultatis organo academicis autonomis postulet, ut in actionibus mensuris suis respiciant momenta atque praescripta in art. 2 litt. b) nominata. Facultatis organa academica autonoma annuntiant Magno Cancellario omnes mensuras paratas et graviora de Facultatis vita, quae eadem momenta atque praescripta attingant.

4. Magnus Cancellarius iura habet in art. 3 par. 2 litt. c)-f) nominata. Praeterea potest concilium membrorum Communitatis Academicae Facultatis convocare. Ius habet in medium prodeundi intra sessionem Senatus Academici Facultatis et Consilii de rebus scientificis Facultatis, quandocumque ita petat.

Pars tertia
Facultatis organa academica autonoma et Secretarius

Art. 5
De organis academicis

1. Facultatis organa academica autonoma sunt:

a) Senatus Academicus Facultatis;

⁸ Sapientia christiana, art. 13 § 1.

⁹ Sapientia christiana, art. 12 et art. 27; Ordinationes, art. 8 et 38.

¹⁰ § 33 art. 4 Legis; Sapientia christiana, art. 7.

¹¹ Sapientia christiana, art. 18.

¹² Sapientia christiana, art. 27 § 2.

¹³ Sapientia christiana, art. 27 § 1.

- b) Decanus;
- c) Consilium de rebus scientificis Facultatis;
- d) Collegium disciplinarium Facultatis.

2. Alterum organum Facultatis est Secretarius.

3. Facultatis organa academica autonoma et Secretarius ius habent decidendi vel nomine Universitatis agendi in sequentibus rebus Facultatem attingentibus:

- a) curriculum creatio et expletio;
- b) scientificarum, pervestigatarum, evolutivarum, artificarum necnon aliarum navitarum creativarum destinatio et dispositio;
- c) relationes secundum ius laboris pactae;
- d) processus ad habilitatem docendi et ad nominationem professoris assequendas, limitibus legis servatis;
- e) contactus extranei et activitates extraneae;
- f) organorum academicorum autonomorum constitutio et interna dispositio, nisi lex aliter statuatur;
- g) pecuniarum attributorum et bonorum Universitatis usus, limitibus secundum art. 49 litt. c) Statutorum Universitatis servatis;
- h) navitates supplementariae et usus pecuniae inde acquisitae.

4. Facultatis organa academica autonoma et Secretarius ius habent cum sententiis, mentionibus necnon querelis suis organa autonoma Universitatis et Quaestorem adire.

5. Organa autonoma Universitatis et Quaestor ius habent cum sententiis, mentionibus necnon querelis suis Facultatis organa academica autonoma et Secretarium adire. Quae organa obligantur eis operam dare, sine mora superflua eas expedire et ad eas respondere.

Art. 6

De Facultatis Senatu Academico

1. Senatus Academicus Facultatis eiusque membra actionum suarum rationem reddunt Communitati Academicae Facultatis. Munere suo fungentes, membra Senatus Academici Facultatis ligantur uniuscuiusque conscientia et debent commoda Facultatis ut rei universae curare.

2. Membra Senatus ex membris Communitatis Academicae Facultatis ab iisdem eliguntur, separatim ab operariis academicis separatimque a studentibus. Senatus 12 membra habet, quorum 8 eligantur ex operariis academicis et 4 eligantur e studentibus. Modus electionis et agendi Senatus accuratius diffiniuntur per “Ordinem eligendi et fungendi Senatus Academici Facultatis Theologiae Catholicae”, qui est norma interna Facultatis.

3. Munus membri Senatus Academici Facultatis repugnat muneribus Rectoris, Prorectoris, Decani, Prodecani et Secretarii Facultatis.

4. Antequam tempus fungendi praeterierit, munus membri in Senatu Academico Facultatis exstinguitur

- a) simulac habitus membri Communitatis Academicae Facultatis exstinguitur;

- b) die qua praeses Senatus Academici Facultatis declarationem scriptis datam obtinuit, per quam membrum se munere in Senatu abdicat;
- c) revocatione, si ita consentiat pars dimidio maior competentium membrorum Communitatis Academicae Facultatis, operariorum academicorum aut studentium; uberiora reguntur “Ordine eligendi et fungendi Senatus Academici Facultatis Theologiae Catholicae Universitatis Carolinae Pragensis”.

5. Si munus membri Senatus Academici Facultatis secundum litteram antecedentem exstinguitur, Senatus Academicus Facultatis enuntiet electionem suppletivam.

6. Tempus fungendi statuitur membro Senatus Academici Facultatis ad biennium. Tempus fungendi omnium membrorum Senatus Academici Facultatis exstinguitur, si Senatus Academicus Facultatis per sex menses non agit iuxta par. 9 et 10. Decanus non tardius quam intra dies xxx electiones novas enuntiet.

7. Senatus Academicus Facultatis suffragiis occultis e suis membris eligat et, si res fert, etiam revocet organa sua: praesidem et duo vicepraesides. Praeses et unus vicepraesidum ex operariis academicis, alter vicepraeses e studentibus eligatur.

8. Sessiones Senatus Academici Facultatis publice accessibiles sunt. Tempora sessionum praestituta, protocollum de actione et decisiones Senatus in tabula Senatus officiali patefiant.

9. Senatus Academicus Facultatis

- a) Decano rogationem ferente decernit de constitutione, coniunctione, fusione, seiunctione vel dissolutione partium Facultatis;
- b) Decano rogationem ferente normas internas Facultatis approbat et easdem ad approbandum Senatui Academico Universitatis cedit; protographum autem Statutorum Facultatis, antequam Senatui Academico Universitatis cessum erit, debet a Congregatione pro Institutione Catholica approbatum esse;
- c) distributionem futuram pecuniarum Facultatis, a Decano propositam, approbat et usum earum inspicit;
- d) annuam rerum gestarum expositionem approbat necnon annuam de fiscalibus relationem, quae documenta Decanus proposuit;
- e) condiciones admissionis ad studia intra curricula a Facultate gesta approbat;
- f) Decani rogationem ad nominandum vel revocandum membra Consilii de rebus scientificis Facultatis et Collegii disciplinarii Facultatis approbat;
- g) rogationem ferendam de Decani nominatione decernit et, si opus fuerit, rogationem fert de eiusdem revocatione a munere; quibus in casibus agat Senatus secundum „Ordinem ad eligendum candidatum munere Decani functurum et ad procedendum in Decani revocatione“, qui est norma interna Facultatis;
- h) Decano rogationem ferente approbat Facultatis propositum diuturnum actionum erudiendi, scientias excolendi, pervestigandi, evolvendi, artes colendi necnon aliarum in Facultate navitatum creativarum, quod propositum elaborandum est ut proposito diuturno Universitatis consentaneum et prius in Consilio de rebus scientificis Facultatis tractetur.

10. Senatus sententiam suam dicat nominatim

- a) ad rogationes, quibus curricula a Facultate gerenda ferantur;
- b) ad Decani consilium Prodecanos nominandi vel revocandi.

Art. 7
De Decano

1. Facultati Decanus praeest, qui, ut solet, ex professoribus et docentibus Facultati incardinatis nominetur; ipse in rebus Facultatis agit et decernit, nisi aliter statuunt normae iuris civilis vel, in rebus canonicis, normae iuris canonici. Decisiones graviore formam habeant consultorum Decani, quae consulta publice enuntientur et in tabula officiali Facultatis patefiant.

2. Decanus nominatim:

- a) Facultatem foris repraesentat;
- b) Facultatis actionibus moderatur, easque provehit et coordinat;
- c) congruenter normis internis Facultatis ac Universitatis agit et iugiter curat ut eadem servantur;
- d) Prodecanos nominat et revocat, audita sententia Senatus Academici Facultatis;
- e) membra Consilii de rebus scientificis Facultatis, cui praesidet, consentiente Senatu Academico Facultatis, nominat et revocat;
- f) membra Collegii disciplinarii Facultatis, consentiente Senatu Academico Facultatis, nominat et revocat;
- g) Secretarium nominat et revocat, ambitum actionum eius statuit et actiones inspicit;
- h) Senatui Academico Facultatis ad approbandum fert distributionem futuram pecuniarum Facultatis;
- i) Senatui Academico Facultatis ad approbandum fert annuam rerum gestarum expositionem necnon annuam de fiscalibus relationem;
- j) Senatui Academico Facultatis fert rogationem de constitutione, coniunctione, fusione, seiunctione vel dissolutione partium Facultatis;
- k) Communitatem Academicam Facultatis convocat;
- l) servatis limitibus iuxta Statuta Universitatis, art. 49 litt. c), de bonorum Universitatis usu dispensat et, in quantum ad id ipsum pertinet, nomine Universitatis agit;
- m) nomine Universitatis decernit in rebus ad ius laboris pertinentes circa operarios academicos et circa ceteros operarios Facultatis;¹⁴
- n) congruenter Statutis Universitatis, art. 23, audita sententia Consilii de rebus scientificis Facultatis, Universitatis Rectori rogationem fert, ut cui detur vel tollatur munus Cautoris vel membri Consilii cautorum curriculum caventis, quaecumque curricula sint a Facultate gesta, item munus membri Consilii provinciae scientificae curriculum ad Doctoratum caventis;
- o) rogante Cautore vel Consilio Cautorum, audita sententia Consilii de rebus scientificis Facultatis, curricula edicit;
- p) una cum opinione Consilii de rebus scientificis Facultatis et Magni Cancellarii¹⁵, Rectori Universitatis rogationem suam de Doctoratu honoris causa attribuendo proponit.

3. Vicem Decani gerunt Prodecani, servatis limitibus ab eodem statutis. Prodecanos nominat et revocat Decanus, audita sententia Senatus Academici Facultatis. Ipse eis negotia exsequenda distribuit et actiones eorum inspicit.

4. Decani organum constans, consultationibus habendis, est Collegium Decani (ulterius „Collegium“ tantum). Membra Collegii sunt Prodecani, Secretarius et, si idoneum est, cetera membra a Decano nominata. Praeses vel membrum Senatus Academici Facultatis, cui Senatus ita mandavit, potestatem habet, Decano consentiente, actionibus Collegii interesse.

¹⁴ Statuta Universitatis Carolinae Pragensis, art. 37-40, Sapientia christiana, art. 22-30.

¹⁵ Vide etiam Magni Cancellarii assensum „nihil obstat“ secundum Sapientiam christianam, Ordinationes, art. 38.

5. Decanus actionum suarum rationem Rectori reddit; quo nullatenus laeditur Decani competentia in rebus exsequendis iuxta § 24 Legis de scholis superioribus.
6. Decanus, a Senatu vel a Praeside Senatus vocatus, in sessione Senatus Academici Facultatis se sistat et interrogationes respondeat de munere suo exsequendo, quibuscumque eum Senatus vel membrum Senatus in sessione interrogent.
7. Decanum nominat et revocat Rector, rogatione lata a Senatu Academico Facultatis.
8. Rector potest Decanum motu proprio revocare, et quidem solummodo sententione Senatus Academici Facultatis dicta atque Senatu Academico Universitatis assentiente, si Decanus graviter officia sua neglegat vel graviter commoda Universitatis vel Facultatis offendant.
9. Antequam tempus fungendi praeterierit, munus Decani exstinguitur etiam die qua Rector declarationem scriptis datam obtinuit, per quam Decanus se munere suo abdicat.
10. Tempus fungendi statuitur Decano ad quattuor annos. Munere Decani eadem persona in eadem facultate fungi potest non amplius quam duo tempora fungendi immediate subsequencia.

Art. 8

De Facultatis Consilio de rebus scientificis

1. Membra Facultatis Consilii de rebus scientificis nominat et revocat Decanus, consentiente Senatu Academico Facultatis.
2. Membra Facultatis Consilii de rebus scientificis sint insignes repraesentatores disciplinarum, in quibus Facultas navitates suas eruditivas, scientificas, pervestigativas, evolutivas, artificas vel alias navitates creativas gerit. Tertia saltem pars membrorum sint personae aliae ac membra Communitatis Academicae Universitatis.
3. Facultatis Consilio de rebus scientificis Decanus praesidet.
4. Facultatis Consilium de rebus scientificis nominatim
 - a) propositum diuturnum actionum erudiendi, scientias excolendi, pervestigandi, evolvendi, artes colendi necnon aliarum in Facultate navitatum tractat, quod propositum elaborandum sit ut propositis Universitatis consentaneum;
 - b) curricula, quae Facultas gestura est, approbat;
 - c) auctoritatem habet in processibus ad habilitationem docendi assequendam et in processibus ad professorem nominandum, servatis limitibus Legis de scholis superioribus;
 - d) expertos ceteros approbat, qui ius habeant membra collegii examinatorum esse in examinibus publicis et in examinibus publicis rigorosis;
 - e) sententiam dicit ad Decani rogationem, ut cui detur vel tollatur tum munus Cautoris curriculorum ad Baccalaureatum et ad Magistratum, tum munus membri Consilii provinciae scientificae curriculum ad Doctoratum caventis;
 - e) sententiam dicit ad Decani rogationem nominandi professorem emeritum;
 - f) Rectori fert rogationem nominandi professorem in memoriam;
 - h) sententiam dicit ad Decani rogationem impertiendi Doctoratum honoris causa.

5. Facultatis Consilium de rebus scientificis sententiam dicit ad problemata a Decano lata.
6. Decanus, ut solet inter mensem a sua nominatione, Senatui Academico Facultatis rogationem fert revocandi et nominandi membra Facultatis Consilii de rebus scientificis.
7. Munus membri in Facultatis Consilio de rebus scientificis exstinguitur
 - a) die qua Decanus declarationem scriptis datam obtinuit, per quam membrum se munere in Facultatis Consilio de rebus scientificis abdicat;
 - b) die qua Senatus Academicus Facultatis approbavit rogationem revocandi membrum Consilii de rebus scientificis Facultatis, a Decano latam.
8. Sessiones Consilii de rebus scientificis Facultatis ex solito publice accessibiles sunt. Tempora sessionum praestituta, protocollum de actione et decisiones Consilii de rebus scientificis Facultatis in tabula officiali patefiant. Agenda Consilii de rebus scientificis Facultatis accuratius diffiniuntur per “Ordinem agendi in Consilio de rebus scientificis Facultatis Theologiae Catholicae”, qui est norma interna Facultatis.

Art. 9

De Facultatis Collegio disciplinario

1. Praesidem et cetera membra Collegii disciplinarii Facultatis Decanus, consentiente Senatu Academico Facultatis, e membris Communitatis Academicae Facultatis nominat et eosdem revocat. Collegium disciplinarium sex habet membra. Dimidium membrorum Collegii disciplinarii Facultatis studentes figurant.
2. Tempus fungendi statuitur Collegio disciplinario Facultatis ad biennium.
3. Antequam tempus fungendi praeterierit, munus membri in Collegio exstinguitur
 - a) revocatione;
 - b) simulac habitus membri Communitatis Academicae Facultatis exstinguitur;
 - c) die qua praeses Collegii declarationem scriptis datam obtinuit, per quam membrum se munere in Collegio abdicat.
4. Facultatis Collegium disciplinarium delicta disciplinaria studentium Facultati adscriptorum tractat et Decano sententiam ad decidendum proponit.
5. Actionum Collegii disciplinarii fundamentum est “Ordo disciplinarius ad studentes Universitatis Carolinae Pragensis” et “Ordo disciplinarius ad studentes Facultatis Theologiae Catholicae”, qui est norma interna Facultatis.

Art. 10

De Facultatis Secretario

1. Secretarius, cum Prodecanis cooperans, oeconomiam Facultatis et administrationem internam gubernat, in quantum Decani consultum diffiniverit. In actionibus suis ligatur normis internis Universitatis et Facultatis.

2. Secretarius, secundum idem consultum, nominatim
 - a) Facultatis Decanatu moderatur, respectu temperationis et operationis;
 - b) nomine Universitatis agit in rebus ad iurem laboris spectantes, si res illae opifices Decanatus vel etiam ceterorum Facultatis partium attingunt, nisi operarii academici sint aut nisi Decanus secus statuerit;
 - c) nomine Universitatis agit in rebus cum oeconomia Facultatis cohaerentibus et in procurando possessionem Facultati commendatam iuxta art. 49 litt. c) Statutorum Universitatis, servatis limitibus per Decani consultum datis.
3. Secretarius a Decano nominatur et revocatur. Nominatio fiat ex actione ad eligendum, cuius conditiones Decanus statuerit.
4. Secretarius subordinatus est Decano et eidem reddet rationem actionum suarum.
5. Secretarius, a Senatu vel a Praeside Senatus vocatus, in sessione Senatus Academici Facultatis se sistat et interrogationes respondeat de munere suo exsequendo, quibuscumque eum Senatus vel membrum Senatus in sessione interrogent.

Pars quarta
Facultatis conformatio

Art. 11
Quomodo Facultas divisa est

1. Partes Facultatem conformantes sunt Cathedrae et instituta ad officia specialia exsequenda.
2. De eorum constitutione, coniunctione, fusione, seiunctione vel dissolutione, Decano rogationem ferente, Senatus Academicus Facultatis decernat.

Art. 12
De Cathedris

1. Cathedra est in Facultatis conformatione pars constitutiva et primaria; navitates Cathedrae Facultas reddat tutas.
2. Cathedra potest ex divisionibus constare, quas Decanus constituit et dissolvit. Divisioni praeest Cathedrae Vicepraepositus, quem Decanus nominat et revocat. De iuribus officiisque Cathedrae Vicepraepositi valet congruenter, quod in par. 6 statuitur.
3. Membra Cathedrae sunt operarii academici, vel etiam ceteri operarii, sive speciali peritia praediti sive administrativi.
4. Cathedrae moderatur Praepositus, quem Decanus nominat et revocat, audita sententia Senatus Academici Facultatis.

5. Tempus fungendi statuitur Praeposito Cathedrae ad quattuor annos. Antequam tempus fungendi praeterierit, hoc munus exstinguitur:

- a) revocatione;
- b) simulac habitus membri Communitatis Academicae Facultatis exstinguitur;
- c) die qua Decanus declarationem scriptis datam obtinuit, per quam Praepositus se munere suo abdicat.

6. Rationem actionum Cathedrae, cui praestat, Praepositus Decano reddet. Ad Praepositi munera pertinet nominatim:

- a) cum Decano cooperans, Cathedrae navitatibus eruditivis, scientificis et pervestigativis, evolutivis, artificis vel aliis navitatibus creativis moderari, easque ordinare et inspicere;
- b) protographum propositi diuturni, quomodo Cathedra augeatur, elaborare et idem Decano proponere;
- c) sententiam dicere in rebus ad ius laboris pertinentes, si membra Cathedrae attingunt;
- d) cavere, ut in Cathedrae actionibus normae internae Universitatis atque Facultatis serventur;
- e) curare, ut Cathedrae actiones ex omni parte tutae reddantur.

7. Concilia Cathedris Praepositorum Decanus convocat, ut quaestiones solvantur ad eorum actiones pertinentes. Protocolla de conciliis modo consueto in tabula Facultatis officiali patefieri possunt.

Art. 13

De Decanatu

Decanatus est Facultatis apparatus executivus; cum Universitatis Rectoratu cooperans, Facultatis organorum actiones suppeditat operibus administrandi, ordinandi et coordinandi, notandi et inspiciendi, nominatim actiones Decani et Prodecanorum, in campo studiorum, scientiarum, oeconomiae, personalium, moderationis internae et relationum externarum. Diffinitio accuratior quoad singulas divisiones Decanatus et actiones earum statuatur ordinatio ad Decanatus conformationem, quae ut Decani consultum edicatur.

Pars quinta

Curricula, studia et studentes

Art. 14

De curriculis

Uberiora de curriculis statuuntur in Lege de scholis superioribus et in normis internis Universitatis.

Art. 15

Quomodo curriculis suppeditetur et quomodo inspiciatur, utrum ea perficiantur

Uberiora, quomodo curriculis suppeditetur et quomodo inspiciatur, utrum ea perficiantur, statuta sunt in Lege de scholis superioribus et in normis internis Universitatis.

Art. 16

De aditum ad studia dando

1. Facultas patet omnibus, sive clericis sive ceteris petentibus. Qui aditum ad studia sibi petunt, testimonium scriptis datum de vita et moribus exhibeant,¹⁶ si ita statutum est in patefactis condicionibus adeundi.
2. Quomodo ad studia aditus detur, inclusive processus scrutatorios, statuitur in “Ordine aditum ad studia dandi Universitatis Carolinae Pragensis”. Aditus condiciones pro anno academico convenienti Decanus statuatur, postquam a Senatu Academico Facultatis approbatae sunt; quae condiciones Universitatis “Ordini aditum ad studia dandi” congruant.

Art. 17

De studiis deque studentium iuribus et officiis

1. Regulae studiorum in Facultate fundamentales, inclusis iuribus et officiis studentium et regulis procedendi in primo gradu necnon regulis processus scrutatorii de iuribus et officiis studentium, statuuntur in “Ordine studiorum et examinationum Universitatis Carolinae Pragensis”. Cetera singula de studiis in Facultate statuuntur per “Ordinationem ad moderandum studia in Facultate Theologica Catholica”, quae est norma interna Facultatis.
2. Studentium iura et officia oriuntur e Lege de scholis superioribus, e normis internis Universitatis et e normis internis Facultatis.
3. Praeter iura, quae studens habet ut membrum Communitatis Academicae (par. 3 art. 2 horum Statutorum), studentis nominatim est ius
 - a) intra unum vel plura studiorum porogrammata studiis operam dare;
 - b) studiorum disciplinas eligere et, secundum regulas curriculi, proprium organigramma studiorum sibi componere;
 - c) in disciplina a pluribus praecipientibus tradita praecipientem sibi eligere;
 - d) examinibus ascendere, servatis condicionibus iuxta curriculum et iuxta “Ordinem studiorum et examinationum”;
 - e) parti sequenti curriculi adscribi, si condicionibus iuxta curriculum et iuxta “Ordinem studiorum et examinationum” satisfecerit;
 - f) argumentum commentationis ad Baccalaureatum, ad Magistratum et dissertationis rigorosae ad Doctoratum sibi proponere;
 - g) suppellectilibus et technologiis informaticis ad studia intra curricula necessariis uti, congruenter normis Universitatis et Facultatis;
 - h) stipendium obtinere, si satisfecit condicionibus addicendi iuxta “Ordinem de stipendiis Universitatis Carolinae Pragensis”.
4. Studenti est praeterea
 - a) tributa ad studia pertinentia, in casibus statutis Lege de scholis superioribus, solvere et necessaria ad eadem statuenda fateri;

¹⁶ Sapientia christiana, art. 31; Ordinationes 24, § 1.

- b) Facultati nuntiare personalia sua, pertinentia ad res circa studia agendas, nominatim mutationem nominis, cognominis, titulorum academicorum, necnon mutationem inscriptionis suae pro perlatione cursuali;
- c) si eum vocavit Rector, Decanus seu operarius ab iisdem delegatus, sistere se ad quaestiones tractandas, quae decursum aut finem studiorum attingunt.

5. Si officia in par. 4 commemorata per culpam studentis praetermissa sunt, debet studens sarcire Universitati impensas, quas ei attulit.

Art. 18

De studentium delictis disciplinariis

Singula ad studentium delicta disciplinaria, ad sanctiones de iis irrogandas necnon ad processum disciplinarium, incluso processu scrutatorio, statuuntur in „Ordine disciplinario Universitatis Carolinae Pragensis“. Cetera singula statuuntur per „Ordinem disciplinarium Facultatis Theologiae Catholicae“, qui est norma interna Facultatis.

Art. 19

De stipendiis

Regulae ad stipendia praebenda, incluso processu petitiones tractandi et processu scrutatorio, statuuntur in „Ordinatione de stipendiis praebendis Universitatis Carolinae Pragensis“. Cetera singula statuuntur per „Ordinationem de stipendiis praebendis Facultatis Theologiae Catholicae“, quae est norma interna Facultatis.

Art. 20

De tributis ad studia pertinentibus

Quanti sint tributa ad studia pertinentia, Decanus statuat, audito Senatu Academico Facultatis, convenienter Appendici nr. 6 Statutorum Universitatis. Tributa in tabula officiali patefiant.

Art. 21

De compensationibus actuum aliquorum, e studentibus exigendis

1. Pro actibus, qui Rectoris decreto definiti sunt, potest compensatio ad valorem sumptuum cum eisdem actibus iunctorum e studentibus exigi. Compensationem, congruenter ipsi decreto, Decanus statuat.

2. Sine compensatione soluta actus in par. 1 commemoratus ne exsequatur.

Art. 22

De studentium mansionem et victu

1. Uberiora de studentium mansionem et victu normae Universitatis internae statuunt.

3. De mansione et victu eorum, qui ad presbyteratum contendunt, Seminarium Archiepiscopale providet.

Art. 23

Quomodo studentibus documenta scripta in manus proprias perferantur

Regulas, quomodo studentibus documenta scripta in manus proprias perferantur, normae internae Universitatis statuunt.

Art. 24

De formatione continua

1. Sub formatione continua talia genera formationis intelleguntur, quae cognitionem, artem et habilitatem participantium adimpleant, augeant, animent vel amplificent. Quod modus formandi patet participantibus variae aetatis, variae intentionis intra provincias scientificas et variae formationis praeviae; qui modus formandi permultis facilis sit accessu.

2. Singula, convenienter „Ordini formationis continuae Universitatis Carolinae Pragensis“, statuuntur per „Ordinem formationis continuae Facultatis Theologiae Catholicae“, qui est norma interna Facultatis.

Pars sexta

Operarii academici et alii opifices

Art. 25

De operariis academicis

1. Operarii academici sunt operarii Universitatis, qui et eruditivae et scientificae, pervestigativae, evolutivae, artificiae vel aliis navitatibus creativis operam dant atque Facultati incardinati sunt.

2. Inter operarios academicos numerantur professores, docentes, assistentes ordinarii, assistentes, lectores et ii operarii scientifici, pervestigativi, evolutivi, qui in erudiendo partem capiunt.

3. Operarii academici munere praecipientium in Facultate funguntur.

4. In docendo partem capere possunt etiam alii experti, quod fit secundum contracta de laboribus extra negotium operarii perficiendis.

5. Operarius academicus necesse est habeat qualificationem congruam in disciplina sua et Ecclesiae mandatum.¹⁷

¹⁷ Sive in forma missionis canonicae aut veniae docendi, cf. Sapientia christiana, art. 27, § 1, sive in forma „nihil obstat“ pro operariis munere stabili, cf. Sapientia christiana, art. 27, § 2.

5. Si praecipiens Ecclesiae mandatum perdiderit,¹⁸ procedat Decanus secundum ius laboris.

Art. 26

De operariorum academicorum rebus ad ius laboris spectantibus

1. Antequam pactio negotii, contractum de labore faciendo vel contractum de labore perficiendo conficiatur, Decanus tenetur sibi per indicem centralem Universitatis persuadere, ne pactio vel contractus propositus normis iuridicis repugnet.
2. Per praecepta de operibus, quae operariis academicis dantur, non licet libertatibus et iuribus academicis intercedere.

Art. 27

De processu seligendi

1. Munera operariorum academicorum ex processu seligendi mandentur. Processus seligendi omitti potest, si cum operario academico iterum agitur de munere mandando, quo ipse iam fungitur.
2. Regulae processus seligendi in muneribus operariorum academicorum mandandis statuit „Ordo processus seligendi“ Universitatis.
3. Processus seligendi potest etiam in aliorum opificum acquisitione haberi, praesertim operariorum scientificorum et expertorum.¹⁹

Art. 28

De otio ad creandum

1. Operario academico, si id postulet, otium ad creandum praebeatur ad sex menses semel in septem annis, nisi obstant gravia circumstantia, quae ad exsequendum munera Facultatis eruditiva spectant.
2. Tempore otii ad creandum operario academico merces convenit.

Art. 29

De mercedibus

Regulae ad mercedes operariorum academicorum et aliorum opificum definiendas statuuntur in „Norma interna de mercedibus Universitatis Carolinae Pragensis“.

Art. 30

Statutum speciale ad opifices spectans, qui non sunt operarii academici

¹⁸ Sapientia christiana, art. 30; Ordinationes, art. 22.

¹⁹ Ordo processus seligendi UCP, art. 1 par. 2.

1. Facultas respiciat necessitates sociales eorum opificum Universitatis, qui Facultati incardinati sunt et non sunt operarii academici.
2. Opifices tenentur normas internas Universitatis et Facultatis servare.
3. Opifices tenentur curam habere de Universitatis et Facultatis fama.

Art. 31

De habilitationibus et professoris nominatione

1. Singula ad proposita ferenda, iuncta cum accreditatione provinciarum scientificarum, ubi processus habilitationis fiunt vel professores nominantur, norma interna Universitatis statuit.
2. De accreditatione provinciae scientificae, ubi processus habilitationis fiunt vel professores nominantur, Decanus annuntiet Senatui Academico Facultatis in sessione insequenti.
3. Singula ad procesum habilitationis et ad professoris nominationem statuuntur in „Ordinatione ad procesum habilitationis et ad professoris nominationem Universitatis Carolinae Pragensis“. Rationes recommendatae, secundum quas processus ad habilitationem et nominationem aestimetur, Rectoris consulto ordinantur.

Art. 32

De professoribus invitatis

1. Praecipientes scholarum superiorum extraneorum, quorum status comparabilis est cum professoribus aut docentibus, possunt ex Rectoris decisione, quae edicatur rogatione lata a Facultatis Consilio de rebus scientificis, titulo operatorio „Professor invitatus Universitatis Carolinae“ uti, quamdiu in Universitate funguntur.
2. Professores invitati iuribus officiisque membrorum Civitatis Academicae fruuntur, excepto iure in Senatum Academicum eligere et membrum eius eligi.

Pars septima

Propositum diuturnum, expositiones annuae et activitatum aestimatio

Art. 33

De proposito diuturno elaborando et de eius usu

1. Propositum diuturnum actionum erudiendi, scientias excolendi, pervestigandi, evolvendi, artes colendi necnon aliarum in Facultate navitatum creativarum (ulterius „propositum diuturnum“ tantum) est documentum fundamentale, ordinem agendorum statuens.
2. Propositum diuturnum initium capit nominatim de conceptis Universitati provehendae et de proposito diuturno Universitatis.

3. Facultas in proposito diuturno Universitatis praeparando participet et sententiam dicat, antequam idem propositum in Universitatis Consilio de rebus scientificis pertractetur, habito respectu ad commoda Facultatis atque totius Universitatis.

4. Propositum diuturnum Universitatis et Facultatis sit exordium nominatim tunc, cum praeparantur mutatio in Facultatis conformatione, nova curricula et intentio pervestigationis scientificae.

5. Propositum diuturnum porro accuratius reddatur, prout opus fuerit.

Art. 34

De expositionum annuarum elaboratione et de eorum usu

1. Facultas expositionem annuam actionum et expositionem annuam de fiscalibus elaboret.

2. Commentarios de expositionibus annuis proferat Senatui Academico Facultatis Decanus; ut commentarios de fiscalibus proferat, potest Decanus mandare Secretario.

3. Conclusiones expositionum annuarum in moderando adhibeantur necnon in propositum diuturnum adaptando vel, si res fert, in idem accuratius reddendo.

Art. 35

Quid contineat et quomodo exsequatur navitatum Facultatis aestimatio

Aestimatio navitatum in Facultate gestarum constat ex aestimatione regularia, inquantum Facultatis ordinatio sit effectiva, qualem gradum navita sit Facultas in navitate sua eruditiva, scientifica, pervestigativa, evolutiva, artificia necnon in aliis navitatibus creativis, haud omisso quomodo ex fontibus hauserit.

Art. 36

De regulis aestimandi Facultatis navitates

Quomodo Facultatis navitates aestimentur, statuat Decanus consulto suo.

Art. 37

De aestimationis eventibus

Eventus aestimandi navitates, postquam eas Consilium de rebus scientificis Facultatis pertractavit et Senatus Academicus Facultatis approbavit, patefiant una cum proxima expositione annua de Facultatis navitatibus.

Pars octava
De oeconomicis

Art. 38

De dispensatione oeconomica et de provisorio fiscali

1. Facultas suam dispensationem oeconomicam pro anno civili constituat.
2. Facultatis dispensatio oeconomica pars est dispensationis oeconomicae Universitatis, si Rector ita decrevit.
3. Facultatis dispensatio oeconomica ut aequabilis constituatur.
4. Protographum dispensationis oeconomicae initium capiat de principiis regularum diuturnarum, quomodo accepta Universitatis distribuuntur. Iunctim cum dispensatione approbanda, Decano rogationem ferente, statuat Senatus Academicus Facultatis, quomodo regulae haec pro unoquoque anno concreta fiant; potest etiam statuere, Decano rogationem ferente, quae sint indices recuperandi et hauriendi pro selectis dispensationis articulis.
5. In distribuendo accepta respiciantur nominatim navitatum eruditivorum effectus assecuti, propositum diuturnum actionum Facultatis, genera et sumptuositas nummaria curriculum accretorum et programmatum formationis continuae necnon studentium numerus. In distribuendo pecunias ad navitates scientificas et pervestigativas respiciantur nominatim earundem effectus assecuti atque sumptuositas.

Art. 39

De oeconomia et possessionum procuratione

1. Usus possessionum Universitatis, contractus de usu Facultatis interiorum ad habitandum haud aptorum vel rerum immobilium necnon pretiorum calculatio ordinantur in art. 49 et 50 Statutorum Universitatis. Oeconomia ordinatur „Regulis de oeconomia Universitatis” (Universitatis Statutorum Appendix nr. 8); possessionum procuratio ordinatur „Regulis de procuratione possessionum Universitatis”.
2. Facultas oeconomiam gerit pecuniarum de aerario, et pecuniarum de acceptis, quae acquirit nominatim
 - a) in forma tributorum ad studia pertinentium, iuxta Appendicem nr. 6 Statutorum Universitatis;
 - b) instar tributorum de admissione ad studia;
 - c) ex ordinando cursus formationis continuae, de quibus singula statuuntur per „Ordinem formationis continuae”, qui est norma interna Facultatis;
 - d) instar donorum Facultati destinatarum, inclusive extraneorum;
 - e) de Facultati destinatis pecuniis foundationum, inclusive extraneorum.
3. Facultas procurat pecunias ad usus speciales praebitas de credentiis (quae credentiae Bohemice “granty” appellantur) et pecunias alias, quae ad navitates scientificas vel pervestigativas attribuuntur.

4. Ceterae pecuniae Facultati profluunt ex navitatibus supplementariis. Quomodo eadem navitates perficiantur, Universitatis regulis de oeconomicis et congruis Rectoris mensuris ordinatur.

Art. 40

De inspiciendo oeconomiam

1. Oeconomiam inspiciant personae, quibus Decanus vel Rector ita mandaverit, et quidem aut ex decreto Decani vel Rectoris, aut ex consulto Senatus Academici Facultatis vel Senatus Universitatis.

2. Ad oeconomiam inspiciendam Facultas debet quolibet tempore omnia fundamenta necessaria praebere. Singuli opifices obligantur veraces et completos nuntios dare. Si poscantur, obligantur explicationem scriptis datam afferre ad ea, quae inspiciendo recognita sint.

3. Oeconomiam Facultatis praeterea Senatus inspiciat.

Pars nona

De insigniis academicis, de ritibus et honoribus

Art. 41

De insigniis academicis

Insignia academica, ritus et honores ordinantur Facultati in Statutis Universitatis. Insignia Facultatis in Universitatis Rectoratu deposita sunt.

Art. 42

De vestibus talaribus

Vestibus talaribus, ad immatriculationes, promotiones necnon ad alias occasioness sollemnes, uti queunt

- a) Decanus et Prodecani,
- b) qui ad Senatus Praesidium pertinent,
- c) alii operarii academici,
- d) Secretarius,
- e) insignes hospites Universitatis ex Rectoris arbitrio.

Art. 43

De immatriculationibus, promotionibus et sponsionibus

1. Immatriculationes, promotiones et sponsiones reguntur articulo 56 Statutorum Universitatis; formulas promotorum et verba sponsionis in promotione dandae continet Appendix nr. 1 horum Statutorum.

2. Processus in immatriculationibus et promotionibus statuitur in „Ordine immatriculationum et promotionum Universitatis Carolinae Pragensis“.

Pars decima
Instituta communia

Art. 44
De tabula officiali

1. Facultas suam tabulam officialem habeat.

2. Tabula officialis debet esse expressim denotata atque collocata in publico simulque in loco patenti intra Facultatem.

3. Patefiant in tabula officiali nominatim

a) terminus, ad quem petitiones admittendi ad studia accipiantur, admittendi conditiones, terminus, ad quem expletio conditionum perscrutetur, necnon perscrutationis modus, examinum ad admittendum forma et eorum tenoris adumbratio, criteria censendi examina et numerus maximus studentium, qui unoquoque curriculo adscribi possunt;

b) nuntii de anni academici initio et quomodo annus in semestria, tempora examinandi et vacationes dividitur necnon de termino adscribendi;

c) annuntiatio de temporibus et locis examinum publicorum;

d) nuntius de tempore et loco, quo sessio proxima Senatus Academici Facultatis fiat;

e) nuntius de modo, quo expositiones annuae patefiant aut ubi sit ad eos aditus, necnon nuntius, ubi sit aditus ad propositionem diuturnam Facultatis;

f) nuntii, quanti sint compensationes ad studia pertinentes atque tributa de admissione ad studia et, si exstent, quanti sint compensationes, quae ex studentibus exiguntur pro actibus aliquibus, Rectoris decreto statutis;

g) nuntii de studentium permutatione;

h) annuntiationes depositionis documentorum, si perlatio studentibus in manus proprias fiat modo compensativo;

i) ceteri nuntii, de quibus aut norma interna Universitatis vel Facultatis ita statuerit, aut Rector vel Decanus ita decreverit.

4. Documenta in tabula officiali exposita patefiant etiam per interrete (Internet).

Art. 45
Regula interpretationis

Si dubium oriatur de sensu vel argumento cuius rei libet, quid quaelibet norma interna Facultatis statuerit, interpretetur eam Senatus Academicus Facultatis.

Pars undecima
Instituta conclusiva

Art. 46
Institutum abrogativum

Abrogantur omnes praeviae normae internae Facultatis Theologiae Catholicae, edictae secundum legem nr. 172/1990 Coll., de scholis superioribus, et secundum legem nr. 111/1998, de scholis superioribus necnon de mutatione et suppletione legum aliarum.

Art. 47
Instituta conclusiva

1. Haec Statuta in voce Bohemica et in translatione Latina elaborata sunt.
2. Haec norma approbata est a Senatu Academico Facultatis die 15 mart. 2011; vim obtinebit die quo Senatus Academicus Universitatis approbet eam, approbatione a Congregatione pro Institutione Catholica prius habita.²⁰
3. Haec norma efficax fiet die insequenti, postquam vim obtinuerit.

.....
PhDr. Markéta Koronthályová,
Praeses Senatus Academici FTC UC

.....
ThLic. Prokop Brož, Th.D.,
Decanus FTC UC

Congregatio pro Institutione Catholica haec Statuta approbavit die 15 apr. 2011.
Senatus Academicus Universitatis haec Statuta approbavit die 2 dec. 2011.

²⁰ § 33, par. 4 Legis de scholis superioribus.

Appendix nr. 1

Formula promotorum et verba sponsionis in promotione dandae

Examinibus, Scholares clarissimi,
quae ad doctrinam explorandam eorum,
qui *N (baccalarii, magistri, doctoris)* nomen et honores consequi student,
lege constituta sunt,
cum laude superatis,
nos adistis desiderantes,
ut vos eo honore in hoc solemnii consessu ornaremus.

Prius autem fides est danda, vos tales semper futuros,
quales vos esse iubebit dignitas, quam obtinueritis,
et nos vos fore speramus.

Spondebitis igitur:

Primum – vos huius Universitatis,
in qua *N (baccalarii, magistri, doctoris)* gradum ascenderitis,
piam perpetuo memoriam habituros
eiusque res ac rationes, quoad poteritis, adiuturos;

Dein – honorem eum, quem in vos collaturus sum,
integrum incolumemque servaturos;

Postremo – spondebitis coram Deo Trino et Uno vos studia (*sacrae Theologiae, disciplinarum religiosarum, humanitatis*) impigro labore culturos et provecturos non sordidi lucri causa, nec ad vanam captandam gloriam, sed ut veritas propagetur et lux eius, qua salus humani generis continetur, clarius effulgeat.

Haec vos ex animi vestri sententia spondebitis ac pollicebimini?

Resp.: Spondeo ac polliceor.

Itaque iam nihil impedit,
quominus honores, quos obtinere cupitis,
vobis impertiamus.

Ergo ego promotor rite constitutus
vos ex decreto ordinis mei magistros creo, creatos renuntio

omniaque magistri iura ac privilegia in vos confero.
In cuius rei fidem
haec diplomata Universitatis Carolinae sigillo firmata
vobis in manus trado.